Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1479
Quelle:
Copyright:

rum et Epiſtolarum dominicalium, de probandis propoſitionibus tres tractatus, et quam plures alij libri.

IV. *fol.* 105. Ejusdem *de Officio Regis.* Initium: *Conſequenter ad ordinem clericalem reſtat de militari Ordine pertractandum* &c. Ut *Cod.* CCCXCI. ubi, quod praecedit, Prooemium hic calci ſubnexum eſt.

CCCXCIV.

927 Codex chartaceus lat. Sec. XV. exeuntis, aut plane XVI. Folior. 161. 4. commode perſcriptus et rubricis enotatus a ſecunda manu inſcriptus eſt: *Wiklef ſuper Cantica Canticorum.* Retulimus Exemplum vetuſtius *Cod.* praeced. quod etiam caſtigatius videtur. Ita male legit praeſens de Petro de Riga, *qui expoſitionem Canticorum verſificando in primum librum concluſit.* Scribendum erat *in parvum librum.* Ceterum plura ad *Cod.* mox *cit.*

CCCXCV.

917 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 348. 4. per duas columnas bene ſcriptus, rubricis diſtinctus, et neſcio cui, dono datus *Anno 1550. a S. Joanne ex Mieſta eo tempore Paſtore Zluticenſium*, qui Provinciae *Zatecenſis* in *Bohemia* locus eſt, continet *Job. Wicleſi* Expoſitionem in N. T. excepta tamen *Apocalypſi*, videlicet IV. *Evangeliorum, Epiſtolarum Pauli, Actuum Apoſt.* et *Epiſtolarum Canonic.* Non memorantur *Wicleſi Poſtilla* a *Baleo* et *Tannero;* memorantur vero in *Catalogis mſs.* ut videre eſt *Cod.* CCCXCIII. nec dubito, ea in praeſenti *Codice* haberi; omnia enim *Wicleſum* ſapiunt, frontique, quamvis a ſecunda manu, adſcriptum legitur: *Vigleff predicator perfectus.* Id tamen noto, *Prologum in Matheum* Codici praefixum, qui incipit: *Matheus ex Judea ſicut in ordine &c. Iſte prologus eſt beati Jeronimi qui diuiditur principaliter in quatuor partes* &c. alterius eſſe, cum in eo ad *Publicanorum* mentionem verba *Wicleſi* citentur, addito: *Hec Jo. W.* Sequitur porro: *Incipit Mathei primum capitulum. Liber generacionis Ihesu chriſti — Dimiſſa diuiſione huius libri ne videar fruſtra verba in vanum profundere* &c. Atque hunc ego ipſius *Wicleſi* Prologum habeo, ex eo etiam, quod ipſa demum Expoſitio *fol.* 4. litera picturata initiali ita orditur: *Liber generacionis Ihesu chriſti filij david filij Abraham. Sciendum quod triplex ponitur racio. quare dauid premittitur* &c. Ceterarum Partium Inſcriptiones et Clauſulae nil peculiare ſubpeditant. Poſtilla in Canonicam *Judae* finit: *nullam dicit eſſentiam aliquid iſtorum preter deum.*

CCCXCVI.

Codex partim membraneus, partim chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 916